AD

PRÆCLARISS.

DN. M. STURMIUM,

Theolog. hujus Diſſertationis Autorem Eruditiſſimum.

MAtheſi imbutos εἰς πάντα τὰ μαθήματα ὀξεῖς φαίνεσθαι, Platonis effatum eſt, Tuô, Fautor honoratiſſime, exemplô comprobatum ſatis. Sanè, qvi in ſcientiis, qvas Mathematicas ſolemus appellare, PARENTIS Celeberrimi ductu, progreſſus feciſti admirandos, qvàm acre his Studiis ac promptum ad omnia ingenium per DEI gratiam Tibi acqviſiveris, vel hoc ipſum, qvod edis, ſpecimen abundè demonſtrat. Theologicum illud maximam eſt partem, de argumentis agens è ratione petitis, & num in fidei articulis attendi ea debeant, curatè diſpiciens. Qvod, cùm multi abuſum pro uſu, recto juxta ac neceſſario, venditare haud dubitent, nec pauci ob abuſum uſum abeſſe univerſim ac exulare jubeant, non leve opus, ſed magnum omninò cautâqve cum circumſpectione peragendum. Tu verò utut nuper admodùm Theologiæ Te applicueris, utut hos novos inter conatus laboribus, qvibus diſtineris qvotidiè,